

puritur, & à cōbustione citò consumitur: sed Azoc diu-
 tius sustinet combustionem: Omnes enim species igni
 appositę citò consumuntur. Quomodo ergo expecta-
 bis bonum ab eo, quod citò ab ignis combustionem con-
 sumitur, & ab igne comburitur, & in carbonem redigi-
 tur? Hoc etiam te scire conuenit, quòd nullus lapis ne-
 que germen huic magisterio conuenit. Sed considera si
 poteris rem puram atque mundissimam rectè dirigere:
 si autem tua operatio inefficax esset. Sapientes autem
 disposuerunt, & dixerunt, quòd si hoc quod quæris
 in sterquilinio inueneris, illud accipe: si verò in ster-
 quilinio non inueneris, tolle manum à marsupio. Om-
 nis enim res quæ magno emitur precio, in huiusmodi
 artificio mendax, & inutilis reperitur. Hæc igitur expo-
 sitio, in hoc loco tibi sufficiat. Sed caue ne in hoc ma-
 gisterio quicquam expendas: quoniam postquã com-
 pletum fuerit, expensis non indigebis. Vnde Datin Phi-
 losophus ait: Ego autem tibi commendo, ne in specie-
 rum ponderibus quicquam expendas, & maximè in au-
 ri magisterio. Item ait: Quicumq; ad hoc magisterium
 aliud ab hoc lapide quæsiuerit, assimilabitur viro per
 scalam absque gradibus nitenti ascendere, quòd quum
 nequiuerit, super suam faciem pronus in terram deci-
 dit. Rex Calid: Hoc quod tu dicis est ne rarum, an mul-
 tum de eo inuenitur? Morien. Non est hoc nisi, sicut sa-
 piens dicit, ad diuitem scilicet & pauperem, & ad lar-
 gum & ad auarum, euntem quoq; & sedentem. Nam
 hoc in vijs proijcitur, & in sterquilinijs suis calcatur, &
 multi iã in sterquilinijs foderunt, vt hoc ab eis extrahe-
 rent, & in hoc decepti sunt: Sed sapientes ipsam rē co-
 gnouerunt, & eam rem vnam sæpius probauerunt: quæ
 scilicet in se continet quatuor elementa, & illis domi-
 natur. Rex Calid: Quo in loco vel in qua minera quæ-
 ritur hæc res, donec inueniatur? Ad hoc Morienus obti-
 cuit & fronte demissa, diu cogitauit quid Regi, posset
 respondere: tandem erexit se & dixit: O Rex verum
 tibi confiteor, quòd hæc res diuino nutu in sua creatio-
 ne magis configitur. Omnis enim qui à Deo creatur,
 sine ea persistere non potest. Rex Calid: Explicandum
 est hoc quod dixisti. Morienus ait: Discipuli autē Hercu